



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

138. An liceat offerre suffragia Ecclesiae pro excommunicatis non toleratis
si per contritionem iustificentur, ante obtentam absolutionem? Et an liceat
applicare communia suffragia Ecclesiae ei, cuius ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus absolutione. Resol. CXXXVIII &c. 83

fuit. Ergo hanc concedit. Minor probatur primo, quia cum talis concessio sit favorabilis, extendenda est, quantum verba patiuntur; hanc autem secundum communem loquendi modum facile patiuntur, nam ob hanc applicationem & participationem dicitur in Ecclesia esse communionem Sanctorum, hinc Ecclesia semper hæc duo pro eodem accipit, Nos cum aliquo communicare, & orationes publicas pro eo facere, ut patet ex cap. sacris 38. & cap. nobis 28. de sent. excommunicatis. Secundò, quia, ut ex eisdem capitulis patet æqualiter hæc duo ab Ecclesia permittuntur, aut prohibentur, scilicet pro aliquo publice orare, & recipere oblationes ab eo, vel pro eo factas. Nam hoc ipso quo Ecclesia has recipit, significat se cum facere participem suorum suffragiorum, quod nullo modo convenit eam fidei facere, atqui talis receptio est aperta quædam communicatio in Officiis divinis. Ergo cum generatim omnis talis communicatio concedatur, etiam illa receptio conceditur, & consequenter ut oretur pro talibus excommunicatis.

3. Notandum est tamen hæc suffragia communia, ut sacrificium & orationes nomine Ecclesie factæ, (& suo modo indulgentiæ) quando solum generaliter & indefinite fiunt, aut offeruntur pro fidelibus, non fieri, nec offerri pro predictis excommunicatis, ac proinde eis non prosunt, nisi quando specialiter, siue expresse, siue implicite fiunt, aut offeruntur pro illis, quia absque dubio minister Ecclesie, quando id specialiter non intendit, vult conformari Ecclesie, excludenti illos à dictis suffragiis, etiam si indulget illi, ut si velit, id faciat pro dictis excommunicatis. Quod si excommunicatus toleratus petat pro se offerri suffragia communia, peccat, quia petitione ipsa communicat per modum commercij cum eo, à quo petit, non verò, quia petit suffragia, quia alter, à quo petit, ea potest pro eo offerre, ac proinde petendo tantum peccat venialiter, quia ea petitio tantum est mala, quia est communicatio in locutione, & ita docet Hurtado disp. 3. de excom. diff. 4. n. 12.

RESOL. CXXXVIII.

An liceat offerre suffragia Ecclesie pro excommunicatis non toleratis, si per contritionem justificentur, ante obitum absolutionem?
Et an liceat applicare communia suffragia Ecclesie ei, cuius excommunicatio est occulta, si mortuus est in gratia? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 75.

§ 1. **A**ffirmative respondet Megalius in 3. part. lib. 2. cap. 2. n. 8. Henriquez lib. 9. cap. 15. §. 3. in glossa lit. P. Sayrus de cens. lib. 2. cap. 3. n. 5. Avila de cens. part. 2. c. 6. disp. 4. dub. 2. concl. 1. Navarr. c. 27. n. 36. Covarr. in cap. Alma, part. 1. §. 6. n. 4. concl. 9. & alij; eo quod Ecclesia non videatur velle suffragia subtrahere iis, qui Deo sunt reconciliati, & hæc sententia docet etiam Philipp. Faber de cens. in 4. sent. diff. 25. q. 1. disp. 4. c. 4. n. 142. quia, ait ille excommunicatio est poena ordinata contra contumacem & inobedientem ipsi Ecclesie. Cum ergo tollitur inobedientia, & contumacia, tollitur quoque excommunicatio in foro interiori, & apud Deum, quia excommunicatio est effectus proveniens à peccato mortali contumacia, tanquam à causa; cessante autem causa, cessat & effectus ejus. Cum ergo apud Deum per contritionem sit absolutus, etiam apud Deum restituitur ad pristinum statum, & sic gaudet suffragiis, aliisque bonis, quibus per excommunicationem privabatur.

2. Negativam tamen sententiam docet Suarez disp. 9. sect. 3. n. 2. Vgolinus tab. 2. c. 9. §. 1. n. 4. Filliucius tom. 1. tr. 2. c. 2. n. 45. Gordonus tom. 2. lib. 7. §. 8. c. 1. n. 7.

Layman l. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 4. Turrian. de cens. l. 2. disp. 9. dub. 2. Valquez de excommunicatione dub. 2. c. 11. Corneih de sacrament. disp. 14. dub. 6. n. 49. Sotus in 4. disp. 22. q. 1. art. 1. Cornejo in 3. part. §. 5. de excom. disp. 10. §. 3. dub. 1. Præpositus in 3. p. q. 2. de excommunicatione dub. 6. n. 38. Hurtado disp. 3. de excommunicatione, diff. 5. n. 14. Mercerus de sacrament. in 3. p. quest. 21. dub. 3. n. 2 ubi sic ait: Queritur an poena ista locum habeat in excommunicatis contritis; sed à censura nondum absolutis? Negant S. Andon. & Navarr. eo quod verisimile non sit Ecclesiam velle subtrahere communia suffragia membris vivis fide, & charitate conjunctis. Probabilius affirmant Adrianus, Sotus, & Alanus, quia censura non tollitur per solam internam poenitentiam, alioquin postea absolutione opus non esset, quod constat esse falsum.

3. Dices hunc effectum ex intentione Ecclesie suspendi; etiam si censura plenè non tollatur. Resp. contrarium innuit Innocent. III. cap. sacris, de sententia excomm. significans pro talibus excommunicatis ante absolutionem, neque oblationes recipiendas, neque orationes Deo offerendas.

4. Dices secundò, in his excommunicatis nulla amplius culpa est. Ergo nec poena. Respondetur licet poena non inferatur nisi ob culpam, tamen poena sæpè manet post culpam coram Deo ablatam; donec etiam judicio Ecclesie auferatur, & ita fieri conveniebat ad timorem & reverentiam hujus censuræ. Hæc omnia Mercerus. Vnde puto utramque sententiam probabilem esse, licet hæc secunda sit probabilior. Certum est autem apud me, quod etiam non improbabile putat Præpositus ubi supra n. 37. & Suarez disp. 7. sect. 1. num. 7. in fine, licet applicare communia suffragia Ecclesie ei, cuius excommunicatio est occulta, si mortuus est in gratia, cum enim in eo casu communis, moraliter loquendo, non possit imitari absolutio sine aliqua defuncti infamia, potest sine peccato negligi, non videtur autem Ecclesia velle privare hominem communibus suffragiis, quo casu non possit absque nota absolvi ab excommunicatione. Capitula citata aperte agunt de eo, cuius publica & nota erit excommunicatio.

RESOL. CXXXIX.

An pro excommunicato jam per contritionem justificato liceat applicare sacrificium Missæ ante obitum absolutionem? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 76.

§ 1. **N**egative respondent aliqui ex dictis in superiori resolutione, & Suarez disp. 9. sect. 4. circa præsens dubium duo docet. Vnum est si Sacerdos offerat ut minister Christi, & applicet pro excommunicato prodesse illi. Probat, quia ablata indignitate, sola manet prohibitio, quæ illum non facit indignum. Ergo sacrificium ex opere operato poterit illi prodesse. Secundò explicat à simili de administratione Sacramentorum. Nam aliquod Sacramentum potest excommunicatus prohibitus administrare, quod in suscipiente habebit effectum. Secundum est, nomine Ecclesie non prodesse illud sacrificium excommunicato, quia contraria est intentio Ecclesie, nec citat pro se, aut contra se auctorem aliquem. Sed contrariam sententiam tenet Sotus in 4. disp. 22. q. 1. art. 3. Valquez tract. de excomm. dub. 11. n. 7. c. com. 3. in 3. p. disp. 117. cap. 3. n. 26. & alij communiter, qui absolute docent hoc sacrificium non posse offerri pro excommunicato, & mihi placet, Ratio verò sumenda est ex dictis, quia censura fuit iusta, & non est ablata per solam internam justificationem, ergo si habet Ecclesia veram potestatem excommunicandi, constituit hominem